



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Compendium Summae seu Manualis Doct. Navarri

**Ávila, Esteban de
Azpilcueta, Martín de**

Lvgdvni, 1609

H.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41656

HABITVS. 33^o

Peccat mort. qui comedit carnes humanas, vel tradit eas alteri comedendas citra maximam necessitatem, quamuis neminem ob id occidat. num. 122.

HABITVS.

HABITVS animi est qualitas inhaerens ei. **A.**
Habetur animo, vel alicui potentia eius inclinans illam ad operandum. Præcl. 5. num. 7. No-
uo num. 12.

Qui defert habitum exteriorem, vel signum indicans professionem falsæ sectæ, peccat mortaliter, non tamen propter solam omissionem signi, vel habitus Christianissimi. c. 11. num. 25.

Habitus non potest mutari ab vno con- **B.**
iuge sine licentia alterius in habitum religiosorum tertij ordinis. c. 12. n. 62.

Mutare habitum virilem vel femineum iusta de causa non est peccatum. Quod si id fiat ex leuitate, tantum est veniale. de. se. ca. 23. num. 22.

Qui vestit se habitu religionis in opprobrium illius, vel eo vitur ad turpia personatus, peccat mort. Secus si ob solam leuitatem, dummodò nullum inde opprobrium contingat religioni. c. 23,

Quis.

Quis dicatur temerè habitum religionis dimittere. vide tit. excommunicatio VI. §. 5. lit. & Religiosus. 3.

HASTILVDIVM, vel torneamentum tunc est illicitum, quando vt plurimum cades, vel grauia sequuntur vulnera. Vnde qui huiusmodi torneamenta aggreditur, & qui aliam ad ea inducit, vel qui nō impedit cum possit, peccat mort. Secus si non sint illicita. Peccat etiam m. qui huiusmodi torneamenti interest cum magna voluptate, vel eo animo, vt quamuis sibi esset prohibitum sub mortali, interesset: Aliàs non nisi venialiter. cap. 15. num. 9. Nihilominus tamen torneamenta sunt absolutè prohibita. n. 18.

Instituens moderatè hastiludiū, non peccat. c. 14. n. 31. §. 24.

HÆREDITAS I.

Quoad Hæredem & substitutionem.

HÆRES tenetur implere vota realia defuncti. non tamen personalia, mixta verò partim tenetur, partim non tenetur. ca. 12. num. 56.

Hæres defuncti, qui vouerat religionem, non tenetur conferre religioni bona quæ defunctus

defunctus secum portasset. num. 56.

Hæres decollati, vel suspensi per iudicē, tenetur restituere damnum, quod defunctus intulerat parti. cap. 15. num. 22.

Hæres qui auertendo tabellionem, & testes, facit, ne testari volens relinquat alicui legatum, tenetur restituere, & incurrit poenam perdendi hæreditatem. c. 26. num. 36.

Hæres eius, qui mortuus est absolutus à peccatis, & in sacro sepultus, quamuis postea credat eum decessisse excommunicatū, non tenetur petere absolutionem. Idem de hærede illius qui sine absolutione, tamen cum signis contritionis decessit in excommunicatione occulta: Secus de hærede excommunicati denunciati. c. 27. num. 271.

Nullum monasterium, vel religio est hodie post Trid. incapax hæreditatis præter Franciscanorum, Capucinatorum, & Minorum de obseruantia. c. 16. n. 46.

Quando filius adulterinus putatus legitimus hæres, persuadetur à matre, vel ab alio, ut ingrediatur religionem, quò sine nota infamiae honestè possit relinquere hæreditatē fratribus legitimis, debet ingredi religionem quæ sit incapax hæreditatis: alioquin nil prodesset eius ingressus huic proposito, & restituendi obligationi, quandoquidem monasterium possit adire hæreditatem

Z rem

344 HÆRĒDITAS II.
tem illi obuenientem. Aut renunciet eam
ante ingressum vel professionem. Ibidem.

HÆRĒDITAS II.

Quoad exhæredationem.

FILIA non potest exhæredari, eo quod
contrahit matrimonium inuito patente.
cap. 14. num. 15.

Leges Aragoniæ permittentes parenti-
bus exhæredare filios, relinquendo illis
quinque solidos tantum, iustæ videntur. cap.
26. num. 38.

Legitima iure nature debetur filiis, qui
sunt pauperes, debiles & infirmi ad se su-
stentandum suo labore: reliquis verò, non.
ibidem.

HERMAPHRODITVS.

NON est capax characteris, ordinis si præ-
ualeat sexus fœmineus. secus si præua-
leat virilis sexus, sed nec tunc debet ordi-
nari. cap. 27. num. 203. §. 15.

HÆRET. ET HÆRESIS.

HÆRESIS est quidquid fidei Catholice,
contrariatur. cap. 11. nu. 17. No. num. 22.
Hæreticus ille solum est qui pertinaciter
credit

credit aliquam *heresim*, præludio 1. num. 10. In foro autem exteriori potest præsumi hereticus, licet non sit pertinax, ibidem. §. 4. No. num. 16. 17.

Atque ille est pertinax, qui credit animo non discedendi à suo sensu, etiam si admonetur Ecclesiam tenere contrarium: similiter qui credit aliquid, quod scit esse contra fidem vel contra definitionem Ecclesie, licet affirmet se esse paratum ad corrigendum se ipsum. num. 17. §. 3. Nou. num. 22.

Et quidem hæreticus est triplex, scilicet, purè mentalis, purè exterior, interior & exterior simul, qui etiam vocatur completè hæreticus. habetur hoc ex cap. 11. num. 17.

Hæreticus completè est excommunicatus. cap. 11. n. 17. non tamen purè interior. ibid. & c. 57. nu. 55. nec purè exterior. c. 11. nu. 25. Citra pertinaciam credere, est præ simplicitate, & bona fide vel ex rudi ignorantia credere aliquem errorem, putans ita teneri ab Ecclesia, & paratus est corrigi, & errorem deponere, quando cumque fuerit veritatem doctus. & huiusmodi non est hæreticus, nec excommunicatus. nec peccat mortaliter, regulariter loquendo. Prælud. 1. nu. 10. Nou. num. 15. cap. 11. num. 17. Nou. num. 11. §. Imò quamvis erret ex ignorantia culpabili, non erit hæreticus, nec excommuni-

catus. cap. 11. num. 18. §. 8. No. num. 22.

Quando autem errat circa ea quæ scire tenetur, non excusatur à peccato graui. quoniam ignorantia iuris quod quis scire tenetur, non excusat à peccato, & iste ab Ecclesia iudicatur hæreticus. Prælud. 1. num. 10. No. num. 16.

Peccat etiam mortaliter & est verè hæreticus, & excommunicatus, qui licet simplicitate, & nesciens quid credat in particulari, credit tamen pertinaciter esse verum, quod alius hæreticus credit. cap. 27. nu. 55.

Peccat mortaliter, qui pertinaciter dubitat de rebus fidei, & est hæreticus. c. 11. n. 18. No. num. 22.

Subreptitia, & non deliberata dubietas de rebus fidei, quæ etiam renitente voluntate solet euenire, tantum est venialis. Item scrupuli qui contra fidem suboriri solent, & perdurare molestantes voluntatem, vel non sunt peccata, vel certè tantum venialia. ibid.

Excusari potest à nota hæresis, qui præ ignorantia & rudi simplicitate, credit in personis diuinis aliquid corporeum, aut humanum, (excepto in filio, quatenus est homo) aut aliquid prius, ac posterius, aut maius, aut minus, cap. 11. num. 18. Nou. n. 22. Item eum, qui circa Angelos, & animas hominum crederet aliquid corporeum. Prælud.

Præudio 1. num. 10. Nouo num. 15.

Excusari etiam potest à nota hæresis, qui generaliter asserit non esse timendum, aut non esse sperandum in homine: sine timore esse seruendum Deo, non esse timendum Diabolum: procurandam esse mentis securitatem, & id genus alia. Quoniam hæc omnia possunt esse ordinata aliquo respectu, & rationi consona, & consequenter bona & Catholica. & in dubio, generale verbum, quod ad bonum sensum, & malum trahi potest, interpretandum est in bono. Præl. 1. num. 5. Nouo num. 8.

Omnis hæreticus est etiam schismaticus, sed non contra. cap. 27. num. 77.

Hæreticus exterior est qui *hæresim aliquam profert scripto, aut verbo, aut quouis alio modo exteriori*. qui si est purè exterior, non est excommunicatus, saltem quoad forum conscientie: si verò est interior simul & exterior, est excommunicatus. cap. 11. num. 17. 25. Nou. num. 22. & cap. 27. num. 55.

Hæreticorum fautores, receptores & defensores solùm dicuntur ad effectum incurrendi excommunicationem. qui hæc faciunt eis quatenus hæreticis. cap. 27. nu. 55.

Tenetur quis hæretico extremè indigenti subuenire: imò etiã potest multum egenti, tamquam homini: licet non teneatur. ibid.

Z 3 Fautor

Fautor hæretici præsumi potest, qui scies cum esse talem, fauet ei sine aliqua circumstantia quæ excuset eum etiam in foro exteriori. Possunt tamen multæ Circumstantiæ fundatæ in timore, necessitate, vtilitate pacis, militiæ, &c. excusare à tali præsumptione in foro exteriori: in foro tamen interiori, ipsa veritas est potius attendenda, quàm præsumptio. cap. 27. num. 55.

Hæreticus manifestus est omnino vitandus, non solum propter hæresim, sed etiam propter excommunicationem manifestam quam incurrit: nam idem iudicandum est de hoc sicut de excommunicato ob notoriâ percussione clericum. ca. 9. n. 6. in Antiquo. Sed in Nouo, mutat sententiam, dicens, se recedere ab illa purificatione excommunicati denunciati, & excommunicati manifesti, & licitè posse communicari hæretico notorio qui non est denunciatus excommunicatus. ibidem. num. 8.

Sed hoc intelligendum est iuxta tenorem antiquum Extrauagantis *Ad euitanda* relatū à S. Antonino, & Felino, & ab aliis: in qua de notorio excōmunicato fit restrictio ad solam notoriam percussione clericum. Non tamen iuxta recentiorē approbatā, & innovatā in Concil. Lateran. sub Leone X. & in Concordatis inter eundē Leonē & Franciscum

cum I. Regem Gallia: vbi sublata fuit illa re-
 strictio, & posita est clausula generalis hoc
 modo.

*Ad euitanda multa scandala & multa
 pericula, & subueniendum conscientijs ti-
 moratis constituimus, vt nemo posthac te-
 neatur abstinere, & separare se, neque eustare
 communicationem alicuius in administran-
 do aut accipiendo Sacramenta, aut in alijs
 diuini officijs, aut extra illa, ratione alicuius
 sententia aut censura Ecclesiastica, aut
 suspensionis ab homine aut à iure generaliter
 promulgata, neque seruare interdictum Ec-
 cleasticum, si illa talis sententia, prohibitio,
 suspensio, aut censura non fuerit promulgata,
 & denunciata specialiter, & expressa à iudice
 cõtra certam aliquam personam, collegium, vni-
 uersitatem, Ecclesiam, certum aut certam, ne-
 que manifestò constet incurrisse in sententiam
 excommunicationis, quod nullo modo potest
 occultari, aut per aliquod remedium iuris,
 excusari: quia à communionem huius S. Synodus
 vult quòd se separent iuxta canonicas constitu-
 tiones. Per hoc tamen non intendimus releuare,
 neque iuuare sic excommunicatos, suspensos,
 interdictos, aut prohibitos.*

Quare hæc extrauagans iuxta hunc teno-
 rem, nihil prodest quoad excommunicatos,
 manifestos, qui nullo modo possunt occultari,

tari, & maximè hæreticos, qui sũt manifesti excõmunicati propter hæresim notoriã, neque prodest dicere quòd finis restringendus est ad excõmunicatum ob percussionem clerici notoriè iniustam, iuxta tenorem antiquum. cap. 27. num. 34. & 35.

Vnde catholici etiam religiosi, qui in Germania, Anglia, Gallia, & Scotia, cõmunicant hæreticis manifestis, & palàm se confitentibus tales, & consequèter manifestissimè excõmunicatis, videntur non excusari à peccato, imò neque à censuris, quia cõmunicant huiusmodi excõmunicatis cõtra hunc tenorè huius extrauagantis veriore. n. 35. Et quia cõmercium habent cũ hæreticis, quod sine fauore & auxilio aliquo iis præstando fieri nequit. num. 55.

Sed quia durum videtur eos vniuersos damnare, probabiliter dici potest.

Primum, hanc extrauag. esse vsu receptam cum sola illa limitatione de excõmunicatione manifesta percussionis clerici, iuxta tenorem antiquum. II. Quòd multitudo hæreticorum, & necessitas communicandi & negotiandi, facit licitũ quod aliàs non esset, iuxta Reg. Quod non est licitum in lege, licitum fit in necessitate. de reg. iur. c. 27. n. 35. III. Quòd non communicant illis, nisi quatenus sunt homines, & communicatio hæc est

est fundata in timore, necessitate, cognatione, vel utilitate, in pace, militia, & bellis. nu. 55. l. IIII. Quòd consuetudo iam recepta, & a summis Pontificibus scita, & tolerata, videtur excusare Catholicos ea videntes. Vnde licet comunicatur hæretico notorio excommunicato, qui nō sit denūciatus. c. 9. n. 8. in fi.

Qui timore perculsi, & propter alias causas proferunt aliquid contra fidem, vel consentiunt in aliquod opus infidelitatis exterioris, vel fingunt se esse Sarracenos, cum tamen intra se, & in corde suo oppositum credant, & se Christianos Catholicos profiteantur, peccant quidem mortaliter grauissimè, sed non sunt hæretici, neque excommunicationis quando aliquod opus exterius hæreticum comisissent, alicui hæresi, vel hæretico auxiliū præstādo, non quia hæretici, sed quia fautores hæreticor. fierēt. c. 11. n. 25. No. n. 27.

Blasphemia exterior, aut interior secundū se tantum considerata non est hæresis, quoniam hæresis consistit in credendo, & blasphemia in dicendo. Attamen blasphemia cōtrariatur confess. fidei. c. 12. n. 82. vide tit. Blas.

Sacerdos hæreticus non potest absoluerè a peccatis, neque a censuris etiam in articulo mortis. cap. 26. num. 26. additum in Nou. Completè hæreticus non potest absolui ab alio quàm à Papa, aut ex eius commissione

Z 5 speciali,

speciali, quamvis detur facultas absoluendi à casibus bullæ cœnæ. cap. 27. num. 272. §. 15.

Potest tamen Episcopus post Trident. absoluere, si hæresis sit occulta. Sed hæc facultas ablata est per bullam Cœnæ. Ibidem. Quod in Nouo restringitur scilicet esse ablatam solum, quando hæreticus habet complices. num. 260. dict. 7.

In casu hæresis filius non solum potest, sed etiam tenetur accusare patrem. ca. 14. n. 13. cap. 25. num. 50.

Hæreticus statim denunciandus est. cap. 18. num. 58. & cap. 24. num. 14. vide tit. denunciatio.

HOMICIDIUM.

A **V**ERBA mala, signa, vel gestus, antecedentia percussione, vel homicidium, non sunt necessariò confitenda, dummodò confiteatur homicidium. cap. 6. num. 7.

Peccat mort. qui se exponit periculo mortis, respuens medicinam, & soli prouidentia Dei se committens. cap. 11. nu. 41.

B Homicidium aliquando est licitum. Primum auctoritate iudicis. II. In bello iusto. III. Ob defensionem propriae vitæ, vel propriarum rerum, vel honoris: Moderatè tamen. cap. 15. num. 2. 3.

Peccat

Peccat minister iustitiæ occidens odio,
vel vindicta priuata. num. 2.

Occidens iudicis auctoritate, vel in bello **C**
iusto, potest habere animum occidendi pro-
pter bonum Reip. Idem de occidente ob
defensionem suarum rerum, vel vitæ proximi
vel suæ propriæ. num. 2. Quod si se & sua
aliter defendere possit, peccat mortaliter
occidendo. cap. 15. num. 5. excipitur tamen
ille, qui si velit defendere propriam vi-
tam, aliter quàm occidendo inuasorem,
nempe fugiendo, patietur magnum detri-
mentum sui honoris. ibid.

Non licet occidere aliquem antequam
aggrediatur. Bene tamen dicitur aggressor,
qui decreuit occidere nulla mora interpo-
sita eum, qui non habet aliud remedium
quàm præuenire alterum, vt patet in vxore
quæ scit se occidendam à marito, pugione
supposito ceruicali. num. 3.

At verò insidiator, qui tandem certò cre- **D**
ditur occisurus, non dicitur aggressor, quia
interponitur magna mora diei, vel mensis.
additum in No. num. 3. potest quis occidere
aggressorem ad vitandum vulnus, alapam,
vel aliud tale: non tamen vulneratus, vel
pereussus, nisi quando affectus iniuria vul-
neris, magnam honoris iacturam faceret, si
fugientem non persequeretur. cap. 15. n. 34.
Peccat

E Peccat mortaliter, qui occidit propriam uxorem in adulterio deprehensam. num.4. Nou. num.4. Idem de eo qui ob defendendam castitatem suam, occidit inuasorem, cum aliter possit se defendere. num.5.

Peccat etiam mort. qui præter intentionem occidit aliquem propter inaduertentiam culpabilem: sicut qui deiiciens tegulas de tecto, non præmonendo transeuntes, occidit aliquem: aut sicut, qui castigaturus aliquem puerum non abstulit gladium à cingulo, quo erat illum puniturus, quo tandem postea occidit illum. Atque ut huiusmodi homicidium casuale sit peccatum mortale, parum refert, an huiusmodi opus ex quo sequutum est homicidium, sit licitum vel illicitum. Nam in utroque casu peccatum erit mortale, si præcessit culpa in non adhibendo debitam diligentiam ad vitandum periculum mortis, & in neutro si ea fuit adhibita. Quibus plurimum referat, quantum ad irregularitatem. c. 15. nu. 6. vide tit. Irregularitas. 6.

Qui aggreditur aliquid illicitum, quod est causa occidendi alterum, ut se defendat, peccat mortaliter peccatum homicidij. Vnde peccat mort. qui ingrediens ad alienam uxorem interficit, ut se defendat, maritum, volentem eum occidere. Et incurrit irregularitatem. num. 7.

Peccat

HOMICIDIUM. 365

Peccat mortaliter damnatus ad mortem, occidendo ministros iustitiæ, vt se eripiat. num. 8.

Item qui ne timidus iudicetur, vult deliberatè se exponere periculo amittendi vitæ, vel aliquod mēbrum. n. 8. Secus est in eo qui magna cautela violat legem statuētē peccatam amissionis vitæ, vel membri. c. 23. n. 57.

Peccat mort. qui vtitur aliquo ioco cum probabili periculo vitæ, nisi ob velocitatem, & dexteritatem cesset huiusmodi periculum. cap. 15. num. 8.

Sumere venenum ad experiendam theatriam, dānandum est vt mortale, antequam fiat, non tamen post factum. num. 8.

Peccat mort. qui aliquod exercet tōrneamentum, ex quo cædes, seu vulnera sequuntur. num. 9. vide tit. Hastiludium.

Peccat mort. qui optat mortem alicuius, vel delectatur, cogitatione iniusti homicidij. Secus si delectatur de vtilitate secuta ex morte. num. 10. & cap. 20. num. 3.

Licet optare mortem, vel morbum alicuius propter bonum eius spirituale. Itē optare mortem tyrāni, vel inimicorum Ecclesiæ, quando non est aliud remedium. c. 15. n. 10.

Qui deliberatè præ ira sibi mortem, vel I
mutilationem exoptat, vel sibi iniicit manus,
peccat mort. Secus si eas iniiceret zelo deuotio

uotionis : neque peccat, qui sibi euellit barbam, vel se alapis cadit ob mortem parentum vel amicorum. cap. 15. nu. 11. De clerico ista faciente, vide tit. Excommunicatio VI. §. II. lit. H.

K Peccat mort. qui decurtat vitam per abstinentiam, quam aduertit esse indiscretam: secus si non aduertit. Imò probabiliter existimans non esse talem, non peccat. num. 12.

Peccat item mort. qui comedit aliquid, ex quo timet aliquod notabile detrimētum, maxime si illud fuit sibi interdictum à medico. si verò fuerit damnum leue, peccat venialiter. num. 13.

Qui propter aliquod infortunium cupit se nunquam natum fuisse, peccat mortaliter. num. 12.

L Mater, vel nutrix, quæ secum in lectulo puerum collocat cum probabili periculo suffocationis, peccat mortaliter. Item qui est causa abortus percutiendo mulierem grauidam. num. 14.

Item qui cùm esset affectus iniuria, sciretque suos cognatos vel amicos vindictam sumere velle, non vetuit expressè. num. 17.

Qui occidit alium, non tenetur se vinculis aut morti offerre. nu. 21. Et qui commisit homicidium, propter quod alius est in carcere cum periculo vitæ, non tenetur se pro-

dere

dere cum periculo vitæ propriæ.num. 17.

Homicida quem iudex puniuit, tenetur M
restituere parti damnum. Quòd si suspenda-
tus, tenentur hæredes. n. 25. Tenetur etiã ho-
micida soluere impensas moderatas fune-
ris. 22.

Qui iniustè occidit alium excedens mor-
taliter debitum modum suæ defensionis, re-
netur restituere, vt alius homicida. num. 24.
Quod magis confirmatur & explicatur in
Nouo: Nã licet minùs peccet, minorémque
mereatur penitentiã, quàm qui occidit vo-
luntariè, tamen quoad restitutiõem, sufficit
quòd mors sit iniusta, etiã ex ipsomet opere
exteriori. vnde iste qui nõ seruauit modum
in culpa: tutelæ, ad tantam tenetur restitu-
tionem damni dati, & interesse inde contin-
gentis, sicut homicida voluntarius. Additum
in Nou. cap. 15. num. 27.

Magis peccat vulnerans animo occiden- **O**
di, quam qui occidit, animo non occidendi.
cap. 27. num. 240.

Non est homicida, qui vitam exponit pro
restituendo debito, vel quolibet actu virtu-
tis. cap. 17. num. 87.

Homicidium directè voluntarium in quo
solus Papa, & rarissimè dispensat, est homi-
cidium illicitum intentum in se, saltè æqui-
pollenter aliàs quàm vitandæ mortis causa.

Sufficit

Sufficit autem esse volitum in causa adeo propinqua morti, ut moraliter vix se cōpatiatur velle illam causam, & nolle occidere, ut propinare venenum, quod scit esse mortiferū, vel punctim ferire circa præcordia, vel circa caput etiam cæsim. num. 240.

Potest homicidiū esse directè voluntarium vni, & non alteri, ut homicidium quod facit Petrus animo occidendi, mandante Ioanne, ut tantum inferat aliquam iniuriam leuem citra deformationem. *ibid.* quid teneatur restituere homicida. vide tit. restitut. 2.

De comedente carnes humanas, vide tit. Gula.

HONOR ET HONORATIO.

Bona honoris & famæ sunt inferiora bonis salutis, & vitæ, & maiora bonis fortunæ, seu pecuniæ. cap. 16. num. 44. vide tit. Fama, & tit. Bona.

Peccat subditus denegās superioribus debitum honorē. c. 14. nu. 22. De honore quem filius debet parentibus. vide tit. Filius.

HORÆ CANONICÆ.

I. in se & quoad attentionem & obligationem.

AHorarum recitatio obligat sub mortali
Heos qui tenentur. cap. 25. num. 97. Peccat

Peccat mort. qui recitat notabiliter male, deglutiendo syllabas, incipiendo versus antequam socius finiat, & alia huiusmodi. num. 98.

II. Multa excusant ab hoc præcepto. I. Infirmus: nec tenetur infirmus ab alio recitante audire: nec horarum loco, mente Deum precari. 101.

II. Occupatio repentina, quæ sine scandalo, vel peccato omitti non potest: vel occupatio magni momenti, sicut lectio oppositionis. Non tamen excusatur quis, eo quod studeat, inferuiat, vel peregrinetur.

III. Defectus Breuiarij siue sua culpa contingat, siue absque illa, dummodo poeniteat culpæ præteritæ. IV. Dispensatio summi Pontificis. cap. 25. num. 102. & 103.

Obligatio recitandi in beneficiario ex acceptatione tituli Beneficij nascitur, non ex quantitate redditus. Nihilominus si omnino desint fructus in præsens, vel in futurum, vel saltem distributiones quotidiane simul cum fructibus desint, cessabit obligatio. num. 102.

103. Defectus attentionis necessariae est mortalis. 105.

Attentio necessaria in recitando est proprium actuale vel virtuale in principio recitandi horas, & postea actualis, vel virtualis. Et est triplex, Verborum, Rerum significata

A a cata

cataram, & personarum, ad quas diriguntur.
Et qualibet harum sufficit. num. 105. 106.

D Propositum attendendi actuale vel virtuale tollitur per expressum contrarium, ut qui non vult attendere: & per tacitum, ut qui aduertit se enagari, & non reuocat animum. num. 106. Secus si inaduertenter. nu. 107. Vel qui deliberatè se occupat rebus exterioribus attentioni incompatilibus. num. 106.

Non sufficit recitare per Breuiariū trium lectionum. num. 107.

*HORÆ II. QVOD
personas qua tenentur recitare.*

ATenentur recitare horas clericus ordinatus Sacris, & Beneficiarius, etiam si non sit ordinatus Sacris, Monachus, & Monialis, ad chorum deputari. cap. 2 §. num. 97.

Qui verò profiteretur ad alia obsequia extra chorum, sicut ad officia bellica, vel seculia, non tenetur ad illas, sed ad alia locorum per ordinem statuta. ibid.

Excommunicatus etiam denunciatus tenetur seorsum recitare. num. 102.

Et qui habet beneficium etiam tenue, etiam sine fructibus, modò habeat distributiones, tenetur recitare: secus si nullos fructus aut nullas distributiones capiat, nec per se, nec

se, nec per alium, nec possit capere, nec in posterum sit capturus. num. 102. 103.

Tenetur tamen non solum qui tantum **B** distributiones capit quotidianas, sed etiam ille, per quem stat, quominus capiat fructus, eo quod non vult accipere possessionem, vel rescdere. Similiter si litigans habita sententia debet obtinere fructus sequestratos, vel ab aduersario perceptos, tenetur recitare. cap. 25. num. 104.

Tenetur etiam, qui in pensionē omnium fructuum consensit ei, qui in suum fauorem renunciauit. Secus de illo, qui consentit, vt renuncianti fructus omnes, & omne seruitium, & administratio beneficij reseruentur. num. 104. 105.

Nō tenetur recitare horas canonicas minoribus ordinatus, si nō sit beneficiarius, vel monachus, vel pensionarius. Nec tenetur ad aliquid determinatum recitandum, nisi cū ordinatur, promittat, vel ordinatori præcipienti consentiat. num. 8.

Peccat mort. beneficiarius, & quiuis alius obligatus non recitando horas canonicas: Quid verò teneatur beneficiarius restituere, & ad quid obligetur pensionarius, vide sequentem motum proprium Pij V.

Pius Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei mem. Ex primo Lateranensi Concilio

lio pia & salubris sanctio emanavit, ut qui-
cumque habens beneficium cum cura, & sine
cura, si post sex menses, quàm illud obtinuerit,
diuinum officium legitimo cessante impedi-
mento, non dixerit, beneficiorum suorum fructus pro
rata omissionis, & officij, & temporis, suos non
faciat: sed eos tanquam iniuste perceptos in fa-
bricas ipsorum beneficiorum, vel pauperum
elemosynas erogare teneatur. Veruntamen
multorum animi suspensione tenentur, cuius-
modi rata prædicta ratio sit habenda.

Nos huic rei euidentius atque expressius
prouidere volentes, statuimus, ut qui horas
omnes canonicas uno vel pluribus diebus in-
termiserit, omnes beneficij seu beneficiorum su-
orum fructus, qui illi, vel illis diebus responde-
rent, si quotidie diuiderentur: qui verò Matuti-
num tantum, dimidiam; qui ceteras omnes ho-
ras, aliam dimidiam; qui harum singulas, sex-
tam partem fructuum eiusdem diei amittat:
tamen si aliquis choro addictus, non recitans,
omnibus horis canonicis cum aliis præsens ad-
sit, fructusque & distributiones fortè aliter as-
signatas sola præsentia iuxta statuta, consuetu-
nem, foundationem, aliàs sibi lucrifecisse præ-
tendat, is etiam præter fructuum, & distributio-
num amissionem.

Item ille qui primis sex mensibus officium
non dixerit, nisi legitimum impedimentum ipsum
excusa

excusauerit, graue peccatum intelligat admiffi. Declarantes præstimoniam, præstimoniales portiones, & qualiacunque alia beneficia, etiam nullum omnino seruitium habentia obtinentes non prædictis pariter contineri.

At quicumque pensionem, fructus, aut alias ecclesiasticas ut clericus percipit, eum modo prædicto ad dicendum officium paruum Beata Maria virginis decernimus obligatum, & pensionem fructuum, rerumque ipsarum remissioni obnoxium.

Huius motus proprii breuem declarationem. vide supra tit. Beneficiarius I V.

HORÆ. III. QVOAD
tempus, locum, & ordinem.

Qui tenentur ad officium diuinum, non debent sine iusta causa comedere in ieiuniis quadragesimæ ante nonam recitatum. c. 11. n. 27.

Peccat mortaliter, qui ante recitatas matutinas celebrat, nisi urgente necessitate. cap. 25. num. 83.

Melius est anticipare horas quam postponere. num. 97. Vnde licet Matutinum officium diei sequentis recitare ante solis occum, & etiam post illum omnes horas recitare. num. 107.

Non peccat mortaliter, qui per obliuionem

nem inuertit ordinem horarum. & qui per obliuionem aliquam partem omisit, adimplet supplendo illam, quamuis non repetat reliqua. cap. 25. num. 99.

HOSPITALE.

Hospitalia, seu Xenodochia tantum instituuntur in utilitatem pauperum. Vnde parentes, qui exponunt filium in Hospitali, vt ibi nutriatur, tenentur soluere hospitali expensas, nisi excusentur ob paupertatem. cap. 16. num. 48.

Peccat hospitalarius mortaliter, qui non expedit reditus hospitalis, in iis ad quae sunt destinati, vel finit eos perdi: & qui nimis tarde recuperat bona eius alienata: & qui adeo negligit reficere eius aedificia, vt ob id cadat, cum obligatione restituendi. c. 25. n. 67.

Circa hospitalia statuit Trid. sess. 25. c. 8. de Reformatione haec sequentia.

Hospitalarij hospitalium onera cōpleant, quae si commodè non possint, fructus illorum in alium pium usum conuertant, prout ordinario cū duobus peritioribus de capitulo videbitur.

Et omnes hospitalarij etiam laici (nō tamen regularibus subiecti, vbi viget regularis obseruantia) ad praedictam obligationem implendam ab Episcopis compelli possint. Et propterea in foro conscientiae teneantur ad restitutionem fructuum,

*Hum, quos contra hospitalium institutionem
peroperint, nulla eis remissione profutura.*

*Atque administratio huiusmodi, uni & eidē
persona ultra triennium non committatur: non
obstantibus &c. c. 25. num. 67.*

*HUMILITAS: Ad hanc non requiritur
aliquis expressus subiiciendi se Deo. c. 23. n. 6.*

*HYPOCRISIS. Tacere aliquid quo
quis appareat bonus cum non sit, quamuis
id faciat ad adificationem proximi, tantum
est veniale, modò sit sine damno alterius
notabili. Si enim fiat cum tali damno, erit
mortale. Quòd si id faciat sine intentione
ostendendi se bonum, non est peccatum. ca.
18. num. 8.*

I A C T A N T I A.

*I A C T A N T I A est vitium inclinans ad de-
clarandam inordinatè verbo propriam excel-
lentiam. cap. 23. num. 11.*

*Estque mortalis, quòd aliquis se, vel suos
laudat cum notabili irreuerentia Dei, aut
scandalo proximi, vel cum notabili eius
damno. num. 16.*

*Qui per iactantiam falsò asserit se, vel
aliquem suorum magnum esse medicū, cum
notabili damno aliorum peccat mortaliter.
ibidem.*